



GRATVLATIO

IN NATALI

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO

DN. IOANNI  
GVILIELMO

SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE  
AC MONTIVM DVCI, LANDGRAVIO THV-  
RINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, PRIN-  
CIPi HENNEBERGIAE, COMITI IN MAR-  
CA ET RAVENSBERG, DYNASTAE  
IN RAVENSTEIN

RECTORI ACADEMIAE IENENSIS  
MAGNIFICENTISSIMO

D. XXVIII MARTII, clo Idc LXXXVIII

EX VOTO SINGVLORVM

FELICITER RECVRRENTE

IN AEDE ACADEMICA

SVBIECTISSIME AC

MEMORITER DICTA

A

GEORGIO FORSTERO

---

IENAE,

LITERIS KREBSIANIS.

GRATVLTIO

IN NATALI

ZERENISSIMO PRINCIPIS  
AC DOMINO

DN. JOHANNI

GUILIELMO

SAXONIAE, IVLIAE, CIVIS  
AC MONTIVM DVCI, LANDGRAVIO THE-  
RINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, PRIN-  
CIPi HENNENBERGIAE COMITi IN MAR-  
CA ET RAVENBERG, DYNASTAE  
IN RAVENSTEIN

RECTORI ACADEMIAE TENNENSIS  
MAGNIFICENTISSIMO

EX VOTO SINGVLORVM  
SCIENTER RECVRRENTI

IN AIDE ACADEMICA

MEMORIE  
DIGNISSIMAE

GEORGIO FORSTERO

LENAE

LITERIS KERSIANIS



*SERENISSIME PRINCEPS*

RECTOR ACADEMIÆ HUIUS  
MAGNIFICENTISSIME

*DOMINE CLEMENTISSIME*

MAGNIFICE DN. PRO-RECTOR

*Aulæ Academiæque proceres*

*Viri Summi*

*Auditores omnium ordinum honoratissimi*

*nobilissima commilitonum concio*



Quanta nos affici lætitia quis credit, quanto esse gaudio perfusos, quod in tantâ omnium alacritate, studioque subditorum, plurimis iisque dubiis periculis, quæ capiti imminere potuissent, feliciter superatis, publicæ & privatæ securitatis nostræ custos & conservator in hunc usque diem superstes vivat & incolumis. Diu quidem ille antea optatus, non existentibus in domo tam augusta felicitatis publicæ pignoribus, diu expetitus flagrantissimis precibus, pulsatum querelis coelum, ac penè invidia superis facta; donec sanctissimum Numen rata habuerit vota tamdiu suspensa, ac prope inter lachrymas & suspiria religiosissimè nuncupata. Si fas est divina rebus mortalium aptare, æternus ille rerum

opifex, qui omnia momento creavit, de industria deliberasse atque hoc longæ moræ tormento, & irritæ spei cruciatibus nos affecisse videtur, ut perfectius sit opus, non fortuito fatu aut vulgari conceptu, sed lentæ spei molimine productum; & effusiores preces, quanto ardentius desiderata tandem impetrata essent. Nam solet interdum cœleste Numen ad procreationem operis excelsi cujusdam non velocissimo gradu procedere; cæterum ipsius rei bonitate & præstantiâ tarditatem pensare, nec temerè fit quod consummari nisi à Deo potest. Frustrà jam jactet græcula vanitas cotinuatum binocetium, in prognerando Hercule consumtum: cum tantum temporis spatium in ortum Tuum impensum fuerit, ac nominis moram largior usura reddiderit. Tu sic serus ad superos recedas, qui tardè ac penè sero cœlestium fato terris commodatus es. Pro hac Tuâ salute quilibet hodierno die suscipit vota, exultat faustis ominibus universa civitas, lætantur ordines omnes ac status, domiciliumque & sedes in curiâ & aulâ solennibus undique pompis & festis gaudiis perstrepunt. Neque per privatas tantum domos, terrasve nostras lætitiæ hodiernæ vagatur solennitas, sed tota augusta Saxonum familia, sed & alii tum affinitate, tum sanguinis cognatione propinqui  
Prin-

Principes invicem sibi gratulantur, & Principis optimi sibi que charissimi vitam diuturniorem omnibus precibus optant. O quantâ nunc animus noster exultat lætitiâ, qui hæc omnia oculis conspicerere possimus! Demaratus olim Corinthius Philippi Macedonis amicus, cum Alexandrum filium, profligato Dario & Oriente devicto, sedentem in throno Darii conspicaretur, lachrymans præ gaudio dixisse fertur; ô infelices patres nostros, quibus tale spectaculum videre non licuit! Ego, serenissime Princeps, Parentes quidem Tuos, quorum purissimæ animæ inter cœlestes spiritus ævum ducunt, non sanè infelices fuisse dixerim, qui fuere felicissimi; sed magnâ profecto caruisse lætitiâ: quibus Te non solum in hunc usque diem salvum, sed totius Academiae gubernacula regentem videre non licuit. Beati igitur, qui vident, quæ nos videmus; beata universa civitas, quæ à tanto Principe gubernatur; beati subditi sub tali principe, beata membra, tali capite; beatus denique Tu, beati nos, beati omnes, qui Tuâ beatitudine perfruuntur: Nisi fortè humanus animus ut est naturâ futuri vehementer avidus, aliquid nunc etiam concupiscit. Quæris quid illud sit? dicam audacter, novi enim omnium animos, novi fidem:

B

Tuâ

Tua salus, Tua vita & augustissima rerum incrementa. Votorum hæc summa & solennis formula: verba nullo præeunte concepta. Pro Principe nostro divinitus dato. Quod dum paulo latius exponere aggredior, primum omnium à Te, Princeps clementissime, dari benevolè audaciæ meæ veniam supplex obsecro; quod ego quanquam exiguarum virium mearum mihi ipsi conscius, conscendere cathedram ausus fuerim. Audentem me Tua lenitas atque clementia fecit, quæ ut supra cæteros se levat altissimè, ita vulgaria respicere non dedignatur. Hac fretus & motus pietate meâ, quâ patriæ patrem & dominum deveneror, fatius esse putavi, quomodocunque dicere, quam cum non dicere flagitium pati, ut in tanto lætitiæ triumpho obmutescerent penitus Musæ nostræ. Vos verò auditores, omnium ordinum honoratissimi, exuite paulisper aliarum rerum curas, & vobis auspiciatissimum genitilis lucis decus omnique humanâ admiratione dignissimum ante oculos animosque mecum sistite. Quod licet à nostrâ voce atque industria vix quicquam lucis sperare possit, negligendum omnino tamen & transmittendum silentio non erit.

Multum profecto imperitia rerum,  
multum opinio vana in animis hominum  
valet,

valet, & ut est ingeniosa ac solers, sic mira plurima fingit ac fabricatur. Quare in nobis efficit ut quæ vel per naturam & certo rerum ordine eveniunt, vel nullam prorsus vim tum in corporibus fortunisque nostris, tum animo ipso habent, rapiamus in omen & augurium quoddam interpretemur futurum. Natales principum ac regum colere, & venerabiliter illorum recordari, vetus religio suadet, & institutum à gentilibus circa horum natiuitates euentum olim, ut incredibilem prope apud cultiores gentes haberent celebritatem. Hæc frigidissima superstitio totam Græciam totamque Assyriam aliave regna plurima ita infecit, ut neminem auspicato imperare, neminem reipubl. & omnium civium salutem promoveri, neminem feliciter ad regni gubernacula sedere posse populus crederet, nisi certo tempore, certâ horâ & die, qui ipsis maioris felicitatis autor extitisset prodiisset in lucem. Antiquissimis jam seculis Romani ac Græci, illæ bellicosissimæ alias ac sapientissimæ nationes sanctiori semper cultu veneratæ diem, ex quo quis in terris receptus. In honorem Apollinis & aliorum Deorum sive dæmonum potius, quorum sub numine & tutelâ se salvos stare credebant, ludos solennes & sacrificia magnificentissimo omnis generis & spe-



spectaculorum & victimarum apparatu, non sine immensis sumptibus instituebant, præcipuè si quis nono cujusque mensis die inchoasset ætatem, quia hunc soli dicatum, oppidò illustrem & magnificum jactabant futurum. Et nulla alia causa summi illius philosophi, qui sive ob habitum corporis, sive ob orationis amplitudinem Platonis nomen consecutus est, natalis lux inani- bus spectaculis & pompis celebrata fuit, quam quod in Apollinis illa diem ingrueret. Melius rebus suis consulere, qui in vetustiore Ecclesia Christo servatori nomi- na sua dederunt. Mos obtinebat apud il- los, ut natales martyrum hoc est dies qui- bus summâ animi alacritate constantiâque inter immanes suppliciorum cruciatus veram doctrinam asseruere, & emisso spiritu ad auras coelestes aspiraverunt, festi atque so- lennes haberentur. Absint igitur hæc va- nissimæ quidem superstitionis in nativâ die- rum vi gloriantis argumenta, absit à natura insita vis, absit omne quod necessitatem in- volvit, fatale omen. Neque enim nostra ea fert religio, & parum splendoris ac reve- rentiæ festo Christiano conciliat, quisquis illud vel paganorum ceremoniis, vel male fanorum vaticiniis, vel ineptientium fabu- lis, vel denique fallacibus siderum caracte- ribus

ribus substruit : natalibus tamen suis debetur honos, & felicissimis gratulationibus prosequendi sunt dies, quibus certæ familiæ & gentes insigniuntur in Fastis. Nam si nec superstitiosa haberi nec falsa oportet, quæ de faustis Principum natalibus historiæ prodiderunt ac nostra potissimam partem recepit ætas; hoc verius erit multas boni veluti ominis natiuitates dari, quo plura firmissima documenta literarum monumentis consignantur. Augustos, Theodosios, Carolos, Ottones, Maximilianos adeo usque prosperis in imperio secundisque rebus usos fuisse, antiquæ literæ memorant, ut in votorum abierit formulam: cum quoties aliquem vel supra humanæ conditionis modum Imperatorem beatum & regno felicem optarent FELICIOREM HIS PRECARENTUR. Sed quam frequenter contra Antoninos apud Romanos, Philippos in Hispaniæ, & Henricos in Galliarum præcipuè Regibus fortunæ destituit indulgentia, adeo ut eorum natales & nomina inter infeliciora nominarentur. His quippe regnantibus lævisima bella inquietabant rempublicam, gliscebant seditionum flammæ & mox suborta dissensionum incendia in manifestas turmas, in exitiosam tempestatem, & in ipsa regicidia irrumpebant. Hæc si quis soli casui & for-

C

tunæ

tunæ adscribere velit, errat sane, neque intelligit hæc omnia ad divinam sapientiam, quæ in humanis hodiernum rebus ludat, esse referendam, & sæpè rebus arcanâ quadam ac solâ sibi cognita ratione omen addere, qui omnia regit ac moderatur. Sæpius omnino latent altissime demersæ rerum causæ, quas autem conditas in occulto cum vestigando exquirere nequeas, frequentiusve adhæreas falso & umbram pro ipsa veritate secteris, multo acerbius erit contemnere ac negare penitus, quam statuere, quod insit non raro aliquid illis merum profundius, nec semper inquirendo humanis viribus comprehendendum.

Illuxit hodie Auditores, & quod solenniter gaudemus, illuxit sexta calendarum Aprilis, qua augusti decoris patriæ Serenissimi Principis ac Domini nostri clementissimi Saxonum Ducis incliti natalia non quidem improba ista gentilium, quæ Tertullianus acerrimus Christianæ fidei defensor, & improbitatis hostis optimo jure meritoque detestatus est, sed pia ac Deo accepta gratulatione pulicâ celebrare, & canere auctori rerum laudes, ac agere maximas gratias instituimus. Est per difficile dolore obrutum filere, sed difficilium multo non loqui, cum lætitia totus quis efferatur. Quis enim  
non

non aliquando vel ipso sensu didicit, quam sit arduum ingens animi vulnus silentio premere. At nos profecto hodiernus docuit dies, longè difficillimum esse immodicum intra limites continere gaudium, & suo imperare animo, cum auspiciousissimus Tuus natalis omnium applausu nunc resultat, cum alacris omnium & effert & jaçtat se pietas, quantumque intus concepit quilibet gaudii tantum in ore, in gestu, in habitu promat. Atqui utinam impræsentiarum adsit ea dicendi facultas, quâ lætitiâ nostram orationis amplitudine liceat assequi tantum! sed unde tam dives artis oratoriae supellex? quæ tanta gravitas loquendi, quod orationis flumen usque adeò torrens, ut dignè repræsentet quantis precibus de cœlo Te efflagitarit patria, quanto gaudio exceperit prognatum in terris, quanto dolore viderit orbatum parente, quibus Te suspiriis dimiserit è sinu patriæ, quantâ sollicitudine prosequuta fuerit absentem, quam anxiiis votis desideraverit morantem, quantâ nunc animi lætitiâ conspiciat reducem, conspiciat incolumem, neque adeò incolumem modo, verum etiam tot egregiis animi fortunæque dotibus cumulatior, ornatior feliciorem. Sed unde tandem in tantâ dicendi copia initium faciendum,

endum, nisi quod juvat imprimis (præsertim cum impatientibus votis hoc dulcius contigit, quo serius) meminisse doloris præteriti, atque cum eo illius diei qui nobis tanta gaudia peperit. Premebatur jam ingenti animi molestiâ patria hæredis certi ac Principis desideratissima, gravemque pectoris sollicitudinem tegere amplius non poterat, erumpebant tristibus genis lachrymæ ac parum simulata suspiria. Commendata denique res Deo ceu omnis boni auctori, & quilibet sedulâ pietate sacris precibus numina demereri studebat, ut illorum munere hunc festivissimum diem conspiceret. Jaciebat olim populus Romanus, quam impense amaret coleretque Augustum palam comprobaturus, in Curtianum lacum quotannis ex voto pro salute ejus stipem. Sed nos non inani superstitione & profano victimarum apparatu, verum religiosissimâ pietate ac purissimis precibus nihil aliud optabamus à superis, quam ut redderent Principem Parenti simillimum. Hoc unum non per templa solum, sed & privatas domos quotidianis sacris, iteratisve oppidatim supplicationibus solennibus, hoc clerus, hoc laicus, hoc pro se quisque subditorum à Deo optimo maximo exorare satagebat. En audivit pia vota Numen exorabile, & illuxit tandem

tandem faustissima dies, quæ atra certe omnique ævo execranda fuisset, nisi affectanti patriæ novum sidus affulsisset JOHANNES VVILHELMUS. Et bonos & malos terrarum rectores non contingere fortuito sed divinitus dari, prout Deus ornare atque provehere cujusque populi res aut premere contra atque dejicere velit, credi ex usu vitæ est. Nullus tamen perinde ac Tu principum optime majori providentiæ destinatione rebus nostris impositus, & à Deo datus videris, qui pietate, justitiâ, & perpetuo juvandi mortales studio proximè ad Deum accedis. Orbatus quidem in ipso fermè vitæ limine autore vitæ, nec in augustæ Parentis sinu & complexu, coelestibus monitis, & præstantissimâ institutione diu requiescere licuit. Verum compensatum hoc damnum Serenissimo tutore JOHANNE GEORGIO, memoriæ gloriofæ nec satis unquam laudando Principe, in quem divus Parens cum astra peteret venente coelum reclinasse videtur, ut Te futurum Principem, dum adolescis, regeret & custodiret, qui tantum animum ad patriam regendam à Deo & custodiendam acceperas. Hoc unum nobis adversum videbatur, quod aliorum profectus fueris, interim non aliâ de causâ, quam ut à latere quasi Parentis, majorem Tui omnes suscipere curam possent.

D

Invita

Invita Roma dimisit Alexandrum Severum  
ad Germanicum bellum proficiscentem, &  
universa civitas per centum & quinquā-  
ginta passuum millia deduxit multis qui-  
dem lachrymis, magnoque cum animi do-  
lore. Sed certo hoc calculo vincit Tua pa-  
tria, quod Te tam anxiam sollicitudine pro-  
secuta fuerit & tantos affectus exhibuerit  
ad res tranquillas Tibique salutare eunti.  
Vere certè ille quisquis sic scripsit res est  
solliciti plena timoris amor, quippe qui  
tutissimis etiam in rebus perinde ut in ma-  
gno discrimine trepidare consuevit. Quid  
ego nunc referam lachrymas, quid suspi-  
ria, cum Te ludibrio illo fortunæ insolenti,  
quo res mortalium assidue volvuntur, ense  
venantium percussum audivissent: Utinam  
tum tuorum vultus, voces animi, auribus  
atque oculis Tuis patuissent! vidisses  
unumquemque suæ fortunæ oblitum de  
Tuâ unius salute cogitare. Nunquam illa  
tam usitata, tamque solennia in sermonibus  
hominum, in conviviiis, in congressibus, in  
suis cuiusque laribus focis atque tectis, ubi li-  
bere suas quisque curas solet effundere, fue-  
runt: uti valet Princeps? quid agit delici-  
um, & unica spes nostra? meliores se res  
habent Principis? Salusne ipsi propitia sa-  
tis? jam rursus nuncio de Tuâ valetudine  
acce-

accepto, undique strepebant illa. Gratia  
sint Deo, vivat in æternum inclytus Princeps,  
bene valeat optimus Princeps, bene sit sem-  
per desideratissimo Principi nostro. Vi-  
vamus si vivit Ille; male nobis esse non po-  
test, si bene sit Illi. In tuto sumus, si Ille est  
incolumis, de unius Illius fato omnes no-  
stræ pendent fortunæ. Vererer non nihil  
ne quisquam sit judicaturus, me plus adula-  
tioni quam veritati dedisse, nisi quilibet suâ  
propriâ conscientia persuasus crediderit, nul-  
lum unquam Principem extitisse, ac ne ho-  
die quidem extare, quem sua patria dilexe-  
rit aut sincerius aut ardentius. Sed haec-  
nus de Tuo discessu ac commoratione, nunc  
de reditu pauca. Vix JOHANNES GEOR-  
GIUS Tuus alter, ac patriæ parens, qui sum-  
mâ cum prudentiâ ac felicitate tutelæ cla-  
vum moderatus erat, & Tuas res sanctissime  
tractaverat, ex hac corporis custodiâ ad su-  
peros evolavit, cum spei Tuæ admotus Se-  
renissimus Princeps VVILHELMUS ERNE-  
STUS Dominus noster clementissimus, quem  
rerum natura edidisse videtur, ut ostende-  
ret quid summa virtus ac pietas in summâ in-  
dole possit efficere. Quamvis non multum  
Illi laborandum erit, ut Te talem reddat;  
nam quod cæteri multo labore ac industriâ  
acquirunt, Tu naturâ edoctus. Plus coelo  
quam



quam institutioni ista indoles debet, si sal-  
tem indoles dicenda, ubi inter juvenilem  
ætatem & senilem prudentiam nullum me-  
dium est. Nam puer summum Principem  
jam prætulisti & nascendi tarditatem fe-  
stinatis adultæ virtutis incrementis com-  
pensasti. Alii aut justâ aut vergente æta-  
te eas res gesserunt, quæ omni memoriâ  
celebrantur, Tu vix terris ostensus ea con-  
fiscis, quæ à grandævo patrata vix fidem  
inveniant. Ætas tantis rebus immatura at-  
que verè regis indolis flos nondum pla-  
ne pubescens futuri spe blanditur: & licet  
laudis emeritus, æternas famæ metas tran-  
scenderis, adeo ut nihil operibus tuis fer-  
me addi posse videatur, virtutis tamen in-  
crementa quotidie miramur, longeque ma-  
jora publica expectatio concipere audet.  
Interim patres nostri nefas ducebant  
nobilissimo huic coetui quemquam alium  
præesse, quam Te tot luminibus clarum,  
tot animi dotibus illustrem, tot virtuti-  
bus conspicuum, Teque dignissimum ju-  
dicarunt, quem Rectorem Magnificentissi-  
mum eligerent, & sibi & toti literariæ rei-  
publ. administrandæ præponerent. Vi-  
deo jam Te verissimum Parentis exemplar  
atque simulachrum, non tantum paternæ  
quam propriæ virtutis radiis illustrem, in  
tanta

tanta illustrium virorum luce non secus ac solem nitescere. Video virtutes, quæ aliis singulatim contingant, in Te perfectissimo gradu omnes esse collatas; tanta est concordia, tantus concentus omnis laudum generis, ut omnibus virtutibus clarus, ubique boni Principis consummatum præbeas exemplum. Respondet animi magnitudini pietas, constantiæ sapientia, amor erga subditos singularis cura, fortitudini eruditio; & quis non videt quid de Tuo futuro regimine sit expectandum, cum in conspectu omnium tam præclarissima edas documenta. Qui decor immortalis, quæ series, quod agmen, quæ abundantia corporis animique bonorum non eorum modo, quæ cæteris hominibus communia, sed quæ Te vulgo exemptum propius coelo adstituunt. Aspiciat saltem quis hanc coelo delibatam faciem, hoc juventæ lumen, frontis honorem, lacteæ cervici infusam cesariem, dulces oculorum minas, os denique, videbit sanè nil nisi gratiam & incredibilem mansuetudinem spirare; ut quod olim de Cæsarum optimo dictum, de Te verius prædicari possit. Quæ licet maxima sint atque incredibilia juventæ auspicia, ac immortalis gloriæ rudimenta; verissima tamen sunt, nec à nobis assentatione finguntur, affectus, amor, pietas subjicit, vir-

E tutibus

tutibus Principis provocata. Invito Tibi  
hæ laudes gratesque audiendæ sunt, Sere-  
nissime Princeps, cum venerantium non  
fit delectus, aut obsequii ordo, cum non  
distingvatur affectus, non primæ & secun-  
dæ admisionis contumeliosa humanitas.  
Princeps qui omnibus patet, laudetur ab  
omnibus, & suam gloriam non aulæ tan-  
tum academiæque proceres, totque nobi-  
lissimi juvenes effundunt, sed qua etiam in-  
conditum vulgus turbaque mulierum ac pue-  
rorum, quæ assentari non didicit, & tam  
fortiter odisse, quam intemperanter amare  
solita, adstrepit. Sed quis Tuas laudes men-  
te concipere, aut ullâ eloquentiâ compre-  
hendere poterit? ingens certè adhuc se a-  
periret campus, in quem excurrere posse-  
mus, nisi multa nobis prætereunda essent,  
dum multitudine obruti accelerare ad fi-  
nem, ne nostra oratio excedat terminos,  
cogamur. Ob quam nimiam festinationem  
mihi, qui rude aliquid & inconditum me-  
ditatus sum, ipsa laudum Tuarum ampli-  
tudo paratam polliciter veniam. Nam sic-  
ut non minus litat, qui paucas thuris gle-  
bas crepitantibus focis adnumerat, quam  
qui pecudum cruore altaria inundat: ita  
ex æquo Principem veneratur, qui indo-  
cilem orationem pedibus suis infert, quique  
nudâ

nudâ prece absque ullo verborum strepitu  
se subjectissimum probat ei, quem qui-  
dem alias ceu in celsissimo rerum humana-  
rum fastigio positum omni eloquentia coli  
fas fuisset. Itaque clementiæ Tuæ confisus  
imponimus quidem orationi nostræ finem,  
sed universi orbis antea præsidem custo-  
demque, sanctissimum Numen, pro tuâ sa-  
lute supplices precamur, ut beneficiis ho-  
diernis faveat tantisque muneribus addat  
perpetuitatem; sine dubio audiet orantum  
preces, & rata habebit vota quæ religiosissimè  
ab omnibus nuncupantur. Non enim vota  
cumulamus, non divitias, non opes, non  
pacem, non securitatem oramus, non ho-  
nores: simplex, cunctaque ista complexum  
unum omnium votum, SALUS PRINCIPIS.  
Si enim apud Poëtam Ascanius obsessus  
ab hoste & ultimo propius admotus tem-  
pore de Patre optimo, sed jam absente  
& longe ignaro periculi, sibi audet pro-  
mittere recepto illo nihil triste futurum:  
quidni nos majori fiducia id ipsum de pa-  
triæ augurari Patre habemus, ac pollice-  
ri, quem defunctum omni periculo, ad  
hunc usque auspiciatissimum natalem, læ-  
tum incolumemque consulere rebus coram  
& moderari fortunam nostram libenter,  
lætitiisque omnibus intuemur & gratula-  
mur.

mur. Vivat igitur JOHANNES VVILHEL-  
mus, unicum illud in spem tutelamque pa-  
triæ susceptum fidus. Vivat florens opi-  
bus, felix rebus omnibus: Tuam virtutem,  
Tuam potentiam & auctoritatem, nulla aut  
frangat aut perimat vis, nulla corumpat  
aut violet fraus, & nullus unquam  
dissolvat dies.

D I X I.





# GRATVLATIO

## IN NATALI

SERENISSIMO PRINCIPI

DN. JOHANNI

GVILIELMO

SAXONIAE, CLIVIAE  
AC MONTIVM GRAVIO THV-  
RINGIAE, M. SNIAE, PRIN-  
CIPALI HENNE TITIN MAR-  
CA ET RA DYNASTAE

RECTORI IENENSIS  
MAGNISSIMO

D. X. XXVIII

E. RVM

IN MICA

GEORGIO FORSTERO

IENAE,

LITERIS KREBSIANIS.

